

**Prorector Procancellarius Et Senatus Academiae Kiloniensis. Quamuis, legibus Academiae generalibus, vt vitam honestam agant ciues nostri, vt vitiorum omne genus fugiant, cautum sit, tamen quae specialibus edictis annis MDCCLXVIII, MDCCLXIX & MDCCLXXIII publice propositis iniungere e re Academiae esse putauimus, nunc denuo ... in perpetuam officii commonefactionem edi & typis exscribi curauimus ... : [P.P. sub sigillo Academiae, Kiliae, die XVI Octobris MDCCLXXIV.]**

[Kiliae], [MDCCLXXIV.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1727330145>

Druck Freier  Zugang



Kiel

1701.

D. II. 2.

1550.



Df II 2  
9550



PRORECTOR  
PROCANCELLARIUS  
ET  
SENATUS  
ACADEMIAE KILONIENSIS.

Quamuis, legibus Academiae generalibus, ut vitam honestam agant ciues nostri, ut vitiorum omne genus fugiant, cautum sit, tamen quae specialibus edictis annis MDCCLXVIII, MDCCLXIX & MDCCLXXIII publice propositis iniungere e re Academiae esse putauimus, nunc denuo, ut nemo ex vestro, Ciues, ordine in posterum obtentu ignorantiae se tueri posse autumet, in perpetuam officii commonefactionem edi & typis exscribi curauimus.

I.

Qui in hac ciuitate literaria commoratur, finem vitae academicae sibi vere propositum esse vel diligentia in audiendis lectionibus Professorum, vel priuatis scientiarum studiis ostendat & probet. Qui secus fecerit, consilium abeundi legibus Academiae sibi decretum esse, pro explorato habeat.

II.

Nocturnas grassationes, vociferationes, inconditos clamores, cantilenas, quas vel in foro, plateis & locis cauponisque publicis, vel etiam in hypocauftis suis canere non erubescunt, siue prorsus inhonestae, siue carminum sacrorum modulationibus accommodatae sint, fenestrarum laternarumue elisiones, iniuriam militibus regiis, excubias praecipue agentibus, ciuibus, opificibus, aliisque cuiuscunque ordinis, dignitatis aut sexus personis inferendam, vim omnem vel publicam vel privatam, tumultus denique quosuis ciuibus nostris penitus interdictos esse, licet nemo ignorare queat, tamen denuo seueraque

que prohibemus. Si autem sint, qui in posterum ita delinquere audeant, vel saltim grassantibus tumultuantibusque socios se adiungant, aut vna cum illis per plateas cursitent, etiamsi nihil aliud eo tempore commiserint, tamen extemplo armata etiam, si opus esset, manu in carcerem duci curabimus, die statim subsequente vel aliis poenis afficiendos, vel ipsa relegatione, pro culpa grauitate, eiiciendos.

III.

Infamem pennialismum, legibus dudum proscriptum, qui hic instaurare, & nuper ingressos Academiam iuniores litterarum studiosos pecuniarum comestationumque exactione, aliisque iniquis modis diuexare, aut verborum conuiciis proscindere ausus fuerit, tanquam Academiae hostis & perduellis exterminabitur.

IV.

Quod alio etiam tempore ediximus, vt nemo vel pompam solemnem ducere, vel fabulas scenicas agere instituat, nisi impetrato prius Prorektoris consensu, hoc, data hac occasione, Vobis in memoriam reuocare consultum duximus.

V.

Haec vt omnes Academiae Ciues, ita illi sibi praecipue habeant edicta, qui conuictus publici beneficio fruuntur. Grauius his enim esse debet, quicquid in leges & statuta Academiae fuerit delictum.


Quae quidem omnia, vt iam nemo amplius se non admonitum esse, ad sensum rigoris, per vitia expressi, doleat, publice Vobis ob oculos ponimus, atque vt ad legum placita vitam, mores, studia componatis, officii nostri memores, vestraeque salutis studiosissimi, volumus, iubemus.

P. P. sub sigillo Academiae, Kiliae, die XVI Octobris  
MDCCLXXIV.

W. Sir

A. Bode  
Buchbinderet  
Schwerin L. M.





Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1727330145/phys\\_0006](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1727330145/phys_0006)

**DFG**

ris studiosi ius publicum familiarissimum sibi red-  
dant non particulare solum verum etiam vniuersale  
aeque ac ius gentium & quicquid doctrinarum cu-  
iusuis muneris publici in dicasteriis & collegiis pro-  
vinciarum Regia auctoritate constitutis subeundi  
caussa vel omnino necessarium vel apprime vtile  
est, quorsum spectant Historia iuris, ars interpre-  
tandi leges, quam Hermeneuticam iuris vocant, ius  
feudale, Processus imperii romano germanici, Phy-  
sica etiam & Historia naturalis, cet. Etenim ne-  
mo, nisi superato hoc examine academico, ad exa-  
mina supremi dicasterii vel Slesuicensis vel Glück-  
stadiensis admittendus est. Quemadmodum Plato  
scholae, quam in Academia habuit, philosophicae  
inscripsit: nemo Geometriae ignarus accedat, ita  
Rex noster Augustissimus nemini sacra Themidis  
adeunda esse existimat, nisi omnibus illis doctrinis  
erudito, sine quibus iuris studium, vulgaris opificii  
instar, scientiae nomen tueri non potest.

His instructi praesidiis quum habeant non so-  
lum quo vitam commode sustentare valent, verum  
etiam quo viam sibi pandunt ad honores amplissi-  
mos, & quod longe maius & praestantius est, Su-  
premi

